Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-755523-p0001-3

Xm. 87.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-755523-p0002-9

In der Platnerschen Auction erstanden

D Kurtze

Hierin ist die vollständige Sammlung der Platnerschen Quaest: medic: for: enthalten und zwar 44 Stück, indem No VI 2 Mal vorkommt indem 2 verschiedenen progr: eine No enthalten.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-755523-p0003-4

1

# ERNESTVS PLATNERVS

## VNIVERSITATIS LITTERARVM LIPSIENSIS

H. T.

# PROCANCELLARIVS

PANEGYRIN MEDICAM

A. D. XVII. MART. CIƆIƆCCXCVII

KOEN. FRIED. UNIVERS. ZU HALLE

IN AVDITORIO MAIORI

CONCELEBRANDAM

INDICIT

---

QVAESTIONES MEDICINAE FORENSIS.

I. DE AMENTIA OCCVLTA.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-755523-p0005-5

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-755523-p0006-1

Eſt quoddam genus amentiae, (quo ego nomine omnem communiter complector animi affectionem mentis vel rationis lumine carentem), reconditum illud quidem et imo pectore incluſum, inopinato ac ſubito erumpens, atque tum a memoriae et iudicii vſu, tum ab omni reliqua vitae actione ita quaſi disiunctum et ſeparatum, vt nullis externis notis, ſcilicet cauſa et vis morbi profundius latet, neque futurum prouideri, neque praeſens cognoſci queat. Sed tamen vera haec inſania eſt, quae in cauſa capitali neceſſarium argumentum afferat abſolutionis. Nam etſi non probo — lenitatem dicam an levitatem? — eorum, qui, ne atrociſſima crimina ſpe careant impunitatis, ſceleratiſſimos homines quoscunque, qui in eorum ſe tutelam ac patrocinium dederint, ſtupratores, latrones, parricidas, incendiarios, ſeditionum concitatores, etiam in aperto facinore deprehenſos et legitime conuictos, ſub obtentu amentiae poena ſtudent liberare iudiciorum; eius ipſius morbi, quem ſuis clientibus affingant, ſuſpicionem in ſe ipſi deriuantes probabiliorem: tamen vereor, ne in aeſtimandis vel maxime huius occultae amentiae ſignis, non iudicum negligentia aliqua aut nimia ſeueritate, ſed medicorum inſcitia et culpa, qui harum rerum diſceptatores et arbitri eſſe ſolent, grauiter nonnunquam erretur. Itaque operam non inutilem

 fore

fore putaui, ſi huius morbi omnem vim ac rationem ſtrictim explicarem.

Eſt igitur amentia occulta niſus et conatus animi oppreſſi ad actionem violentam, hanc actionem ſecreto appetentis et molientis, tanquam ſuae oppreſſionis leuamen et liberationem. Differt a melancholia primum hoc, quod in ea non deſunt ſigna emotae mentis, quae in hoc genere nulla diximus apparere. Deinde haec occulta amentia intenta et defixa eſt in hanc ipſam actionem, quam nunc committit: furor melancholicus autem quanquam antea tectus animi afflictione et ſubmiſſione itidemque inopinato ſe exſerens, omnino violentam actionem aliquam machinatur, non hanc magis, quam aliam quamcunque. Vt melancholicus qui domum incendit, forte puerum aliquem interfeciſſet, ſi eo tempore, quo inuicta illa oppreſſio animum angebat, puer obuiam veniſſet et cultellus fuiſſet in promtu. Differt porro ab amentiae genere quocunque alio, quia facinus, quanquam expers malitiae, tamen conſilio ſuſcipitur ac deliberatione; proinde ab hoc genere omnis abeſt iracundia et furor. Non dubito, quin aliquis dicat, hanc non occultam inſaniam, ſed apertam malitiam, eſſe. Itaque volo exemplum aliquod narrare.

Homo temperamenti melancholico-cholerici, annos natus triginta duo, coecarum haemorrhoidum moliminibus aliisque conſimilibus incommodis, etiam cum perſpicua virium defectione, ita laborabat, vt ſex annis amplius vix vnquam incorrupta et integra ſanitate frueretur. Erat cum hoc bonae indolis, ſimplex, probus, mitis, placidus, alienus ab iniuria omni et violentia; at ingenio paullulum hebetiori, et qui rebus occultis credulum ſe facile praeberet. Hunc inuadit ſtultiſſima ſuſpicio in ſodalem, quocum ante tres annos altercationem et rixam habuiſſet iamdudum ſedatam et obliuione extinctam,

adeo

adeo vt ſerio credat, vitae ſuae ab illo inſidias inſtrui, virium potentia magicarum. Auget et confirmat hunc timorem medici circumforanei ſententia et auctoritas, cui altiori ſcilicet ac recondita ſapientia inſtructo, nihil in ea re a probabilitate videretur abhorrere. Nunc ſuſpicio abit in firmam opinionem; anxie ſtudet ſui ſodalis, quocum in laterum fingendorum officina quotidie mercenariam operam faceret, propinquitatem et contagionem declinare; ſcilicet metuens, ne occulta hinc effluuia et lethifera ad ſuum corpus permearent. Et ſi quando illius praeeuntis veſtigia ſuo pede attingit, manifeſto ſenſu repentinae defectionis virium ſe credit admoneri. Sed intra hanc vnam ille ideam ac ſuſpicionem delirat; caeteroquin ſanae et imperturbatae mentis: et ne haec quidem deliratio foras vnquam profertur: ergo ne vmbra quidem amentiae in eo apparet. Interea conſilium init de iſto ſcilicet inſidiatore tollendo et interficiendo, non repente ac temere ſusceptum, ſed diu agitatum et deliberatum. Ipſe glandem plumbeam fingit, deinde per aliquot dies oculum diligenter exercet propoſita meta quacunque, vt finem oculi coniectu attingere diſcat. Sic praeparatus ſodalem petit et inflicto in caput vulnere exanimat. Quo peracto facinore ipſe nomen ad iudicem defert; facti omnino non poenitens, ſed velut magno leuatus onere et recreatus. Et quanquam ſua ipſius confeſſione hoc in hoc homicidio conſilium ſecutus erat, vt ſuam vitam tueretur, tamen tolerabilius ei eſſe dixit, legitimo ſupplicio mactari, quam turpiſſimo genere mortis (magiam et ſympathiam intelligens) perire. Nulla ne nunc quidem in eo mentis aberratio et emotio conſpecta fuit. Tum iudicibus, tum aliis, qui in cuſtodia cum eo colloquerentur, ad omnes propoſitas quaeſtiones apte reſpondit; in illa tamen idea ſemper perſeuerans, vitae periculum ſibi ab iſtius ſodalis ſui magia imminuiſſe.

 Iam

Iam in hoc reo quae ſunt amentiae probandae argumenta? Diſceptemus in vtramque partem.

I. Quae reo ex aliquot annis ab impedito haemorrhoidum fluxu acciderant perturbationes, quanquam cerebrum et mentem aliquo modo attingentes, eae ipſae in ſeſe non habent cauſam et vim amentiae, neque occultae neque apertae.

II. Omnes ab illo abſunt notae inſanae mentis, qui neque ante neque poſt factum, nec illo ipſo tempore, quo illud vel pararet vel conficeret, amentiae vllam ſuſpicionem reliquerint. Nam et memoria, et ratione valuit; adeo vt comparens apud iudices, omnem vitae ante actae rationem, perpetuo ſermone et ſeruato tum temporum tum rerum ordine, enarraret, etiam de cauſa, quae ad hoc facinus eum adegiſſet, diligenter et perſpicue exponeret.

III. Non ſubito furore aliquo incenſus aut inuitus violentum hoc facinus ſuſcepit, aut culpae et poenae ignoratione, ſed meditatus, imo ad tractandum inſtrumentum ſtudioſe exercitatus: ergo ſui vlciſcendi conſilio, et hactenus malefaciendi cupiditate.

Ad quam redarguendam argumentationem et refellendam, quia tribus illa membris continetur, triplici reſponſione eſt opus.

I. Haemorrhoidum coecarum conatus magnam certum eſt vim in cerebro et neruis habere. Et quaecunque demum cauſa fuerit, non poteſt dubitari, quin corporis vitio grauiter animus aegrotauerit. Nam vtriusque vires vna languerunt. Igitur non futurum fuiſſet, vt illo magiae ſtultiſſimo metu perpetuo teneretur, niſi ideae huius vis ac dominatio, per cerebri debilitatem ac perturbationem, aucta fuiſſet et confirmata. Caeterum amentiae cauſam, in hoc exemplo, nequaquam volumus ad corporis morbum referri: at inclinatio et propenſio

ad

ad ſtultas opiniones et formidines, in quibus omnis inerat deſipiendi materia, a corporis aegritudine manifeſto oriebatur.

II. Quod memoria reus non vacillabat, id, quanquam magni videatur momenti eſſe, tamen plane nullius eſt habendum. Namque memoriae ordo, in quo omnes inſunt opportunitates et habilitates ad coniunctionem ac diſpoſitionem idearum, non rationis vigore pendet, ſed naturae legibus nititur; et viſorum, quae vel ſimilitudine, vel temporis ratione, aliquam inter ſe propinquitatem habent, ea eſt colligatio atque coniunctio, vt, vno recurrente, ſponte recurrat alterum. Itaque cernere licet, amentes etiam melancholicos et furioſos, quietis interuallis et ſedata nunc animi emotione, omnium rerum perſpicuam et explicatam recordationem habere. Enimuero in memoria non modo ineſt omnis vis et commoditas reminiſcendi, ſed etiam, vt dixi modo ante, primarium fundamentum coniunctionis idearum: ergo haec non magis a ratione pendet, quam ipſa memoria; quippe quae eius eſt effectrix. Imo vero motionum quoque et actionum ſucceſſio quaedam eſt et conuenientia, memoriae legibus potius, quam rationis imperio definita. Quapropter mea haec ſemper in hac re ſententia fuit, neque in cogitandi, neque in agendi modo et ordine (nam haec fere memoriae ſunt, non rationis) vllum imperturbatae ac ſanae mentis certum ſignum deprehendi. Quae cum ita ſint, quoniam nulla mentis integritas eſt ſine vſu rationis, hoc reum caruiſſe, iam eſt probandum. Igitur vſus rationis cernitur in ſenſu veri et congrui; quo amiſſo ſenſu, nulla neque iudicandi poteſt neque agendi norma et menſura inueniri. Nunc verum illud et congruum et expers repugnantiae, ad cuius ideam et quaſi regulam ratio, quicquid vel iudicamus vel facimus, exigere iubet,

totum

totum ineſt in principiis generalibus; quorum, ad vſum rationis, promta et parata debet eſſe recordatio. Iam ſi, quantumuis caeteroquin vigente memoria, illorum principiorum obliuio hominem tenet, vel corporis, vel animi ſtimulis et perturbationibus grauioribus hinc auocatum, vſus neceſſario tollitur rationis. Quo ita ſublato, omnis tum idearum, tum actionum curſus partim memoriae habilitatibus, partim illis ſiue corporis, ſiue animi ſtimulis regitur. Qui, ſi valde ſunt acres et potentes, ipſa memoria labat; quod plerisque melancholicis et furioſis accidit: ſin leniores, vt in noſtro hoc exemplo, illa ſe hactenus tuetur, vt idearum qualiscunque ſeruetur et actionum concinnitas. Illa autem principia generalia, quibus omnem rationis vſum diximus terminari, amentes plane non reminiſcuntur; quorum ſi memores eſſent, amentes non forent, id eſt non mentis vel rationis lumine carerent. Eo autem caruiſſe reum, de quo ſcribamus, non poteſt dubitari. Namque ita erat animus hominis defixus in ideam ſuam et formidinem, vt principiorum rationis omnis in eo memoria extingueretur. Itaque rebus ineptiſſimis fidem adhibuit: vt illud, malo daemone ſodalem ſuum adiuuari, inſidias per artes magicas et ſympathiam ſibi ſtruentem. Quem cum ſuae tuendae vitae cauſa e medio ſibi tollendum putaret, tamen a ſe interfectum eſſe ita ad iudicem referebat, vt mortem, quam a ſe propulſare per tantum hoc facinus inſtituiſſet, nunc appetere potius, quam auerſari et refugere, videretur.

III. Si, quod quis non repentino animi motu, ſed meditatus ac praeparatus facit, conſilio et libera voluntate id facere dicas: nec a furioſorum quidem actionibus ratio et arbitrium abhorrebit. Nam nulla tam grauis eſt mentis alienatae aegritudo, per quam vel finis contingendi ſtudium, vel mediorum inueniendorum et comparandorum facultas et ſollertia

omnis

omnis neceſſario tollatur. Quin potius eorum, qui etiam cum furore deſipiunt, admirabilis nonnunquam et iudicandi ſagacitas, et agendi ſollertia deprehenditur, in rebus iis, quarum perpetua cogitatione animus quaſi defixus tenetur. Et quod caput rei eſt, aberat a reo omnis iracundia et malitia: aderat autem tum corporis, tum animi perſpicua et manifeſta aegritudo.

Sed volo hunc grauiſſimum probandi locum illuſtrare iudicio Ordinis Medicorum Lipſienſis; quantum illud quidem ad partem tertiam huius quaeſtionis ſpectaret.

*Obgleich an des Inquiſiten Gemüthszuſtande, ſo viel ſich davon in den Acten offenbaret, weder zu der Zeit, da er die That begangen, noch vor- und nachher eine nahmhafte Zerrüttung, aus den gewöhnlichen Merkmalen der Melancholie und Raſerey, zu erſehen iſt; indem in der Art, wie er den Anſchlag gefaſst, entworfen und ausgeführt, vielmehr Beſonnenheit, Uiberlegung und Bosheit, als Verſtandesverrückung hervorzuleuchten ſcheinet;*

*Dennoch aber da Beſonnenheit, Ueberlegung und Bosheit mit Wahnſinn, in einem gewiſſen Grade und beſonders in Anſehung der Dinge und Handlungen, welche die Materie des Wahnſinnes ausmachen, gar wohl beſtehen kann; auch ſich in dem Inquiſiten weder die Heftigkeit übelwollender Leidenſchaften, noch überhaupt die Bösartigkeit des Charakters im geringſten entdecken läſst, woraus man einen ſolchen Mord, in einem nicht verrückten Menſchen, moraliſcher Weiſe erklären könnte; und es alſo um ſo mehr natürlich iſt, den vorhandenen phyſiſchen Hinweiſungen zufolge, dieſe That, als die Wirkung eines in der mediciniſchen Erfahrung nicht ſelten vorkommenden Wahnſinns zu betrachten, der, ohne ſich in den gewöhnlichen Erſcheinungen von Melancholie oder Raſerey zu verrathen, den*

*Verſtand durch den Einfluſs einer einzigen Idee bethört, und den Willen zu den vernunftwidrigſten Handlungen antreibt: zumal da der Inquiſit, in dem durch ſeine abergläubige Furchtſamkeit eingänglich und nach und nach in der Einbildung feſt gewordenen Gedanken von Sympathie, eine ſolche Idee wirklich gehabt hat; die, beſonders in ihrem Zuſammenhange mit der Liebe zum Leben und dem Triebe der Selbſterhaltung, in einem durch hämorrhoidaliſche Nervenunruhen geſchwächten Kopf, eine unvermerkte Gewalt erlangen, und alſo endlich die Urſache einer Handlung werden konnte, die ſeiner nie bösartig, vielweniger verrucht geweſenen Gemüthsart auſserdem keinesweges gemäſs war: wie denn auch, in welchem Grade jene Idee ſein ganzes Gedankenſyſtem verrückt hatte, daraus erhellet, daſs er feſt glaubte, die Sympathie werde durch die Macht des böſen Geiſtes unterſtützt; Art. — ernſtlich befürchtete, ſein Cammerad könne und wolle ihn mittelſt derſelben tödten, auch ſich einbildete, es werde jedesmal ſchlimmer mit ihm, ſo oft er deſſen Spur betrete, und er könne, ſo lange dieſer am Leben ſey, nicht geſund werden; und mehr als alles, daraus, daſs er nach vollbrachter That, wie doch die meiſten nicht ganz verſtockten Verbrecher, wenigſtens in Hinſicht auf ihr eigenes Unglück, zu thun pflegen, dieſelbe im geringſten nicht bereut, Art. — ſondern ſich vielmehr erleichtert gefühlt Art. — und, ungeachtet er ſie als ein Mittel ſeiner Selbſterhaltung gewollt, ſich nichts deſto weniger, mit der Erwartung eines gewiſſen Todes, ſelbſt angegeben und die Beſtimmung, als ein armer Sünder zu ſterben, für glücklicher geachtet, als an der Sympathie, wie er ſich ausgedrückt, hundsföttiſcher Weiſe umzukommen: Art. —*

*So urtheilen wir: daſs der Inquiſit, als ein von Natur einfältiger und abergläubiger Menſch, der für jede zu einem ſtillen, verſchloſſenen Wahnſinn leitende Idee, eines Theils durch ſeinen phyſiſch-*

*ſchwa-*

*ſchwachen Kopf, andern Theils durch den Mangel aller Einſichten, mit denen er derſelben hätte widerſprechen und Einhalt thun können, zumal wenn ſie von einer Leidenſchaft unterſtützt wurde, ſehr empfänglich war, der Idee von Sympathie, mit Beziehung auf ſeinen Cammeraden, ſeit zwey Jahren ſtets nachhieng; nach und nach die Bewährung dieſer Idee und ſeines Cammeraden Vermögen und Willen, ihm durch Sympathie zu ſchaden, in ſeiner Einbildung wirklich verſpührte; durch dieſe Einbildung und zugleich durch andere phyſiſche Urſachen in ſeinem Gedankenſyſtem zerrüttet, endlich von einem wahnwitzigen Abſcheu, vor der ihm gehäſſigen und, ſeiner Meynung nach, verderblichen Sympathie, in dem Grade eingenommen wurde, daſs, indem er ſeinen Cammeraden als das Werkzeug ihrer geheimen und von dem böſen Geiſte verliehenen Kräfte betrachtete, er denſelben aus dem Wege zu räumen beſchloſs und, da die Idee, von welcher dieſer Vorſatz regiert wurde, lebhafter und wirkſamer in ihm war, als in dieſem ſchon halb träumenden Zuſtande alle andere Vorſtellungen ſeyn konnten, die That wirklich ausführte.*

---

Sed nunc in conſpectum prodeat Candidatus doctiſſimus,

THEODORVS BENIAMIN NEVHOFIVS

LISSA-DELITIENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS

Doctoris medicinae iure et honore vere dignus; quippe qui non idoneam ſolum, ſed omnino praeclaram doctrinam Ordini Noſtro probauerit. Natus eſt a. ciↄIↄcclxxiii



patre

patre Ioanne Dauide, ſacrorum miniſtro, matre Sophia Sybilla Glaſewalda, per mortem immaturam erepta. Ad religionis chriſtianae et prima litterarum elementa inſtructus eſt a magiſtris domeſticis, tum a. LXXXVI in ſcholae Thomanae diſciplinam commiſſus, inprimis Fiſchero, Viro doctiſſimo, adſedit, adiutus in hoc humaniorum litterarum ſtudio a fratre, nunc patrii muneris Vicario, cuius inſignem in ſe caritatem gratus praedicat et celebrat. A. XCI ciuis Academiae Noſtrae factus eſt ab Ampliſſimo Beckio, tum Rectore. Philoſophiae cauſa, Caeſaris et Heydenreichii ſcholam et meam quoque frequentauit. Tum hiſtoriam naturalem a Ludwigio, a quo etiam in ſocietatem Linneanam beneuole fuit cooptatus, botanicen ab Hedwigio, eius noſtra aetate facile principe, phyſicen ab Hindenburgio, chemiam ab Eſchenbachio, anatomen ab Haaſio et Fiſchero, phyſiologiam tum ab Hebenſtreitio, tum a me accepit. Ita praeparatus in reliqua medicinae diſciplina hanc rationem tenuit, vt in pathologia Hebenſtreitium audiret; adiunctis Ludwigii acroaſibus ſuper anatomia pathologica, meisque de morbis oculorum; in materia medica autem, tum in vtraque therapia et in chirurgia Daehnium, (a quo etiam formularum praeſcribendarum rationem didicerat), Kochium, Hebenſtreitium, cuius etiam de politia medica recitationes audiuit, ſequeretur; denique in artis obſtetriciae praeceptis Richteri et Fiſcheri diſciplina vteretur. Cum pater ſumtum ad ſtudia ſuggerere omnem non poſſet, magno ei commodo fuit, quod tum ſtipendio Waltheriano, tum conuictus publici beneficio adiuuaretur. A. XCIV primi colloquii cauſa comparuit apud Ordinem Noſtrum, tum habitis auditionibus publicis, anno ſuperiore ad alterum acceſſit, in vtroque cum laude dimiſſus. Nunc vt veniam capeſſendi ſummi in medicina honoris legitime conſequatur, d. XVII.

Martii

Martii disputationem publicam habebit ſuper libello, cuius hic index eſt: Virium medicamentorum maxime probabilis partitio: praeſide Chriſtiano Friderico Ludwigio, Pathol. Prof. ord. Hiſt. nat. Prof. extraord. Ordinis Med. Aſſ. Viro doctiſſimo, Collega coniunctiſſimo, ab h. IX. Qua disputatione peracta ego Cancellarii vice et munere poteſtatem ei faciam Doctoris ornamenta capeſſendi, habita ab h. XI. breui oratione. Ad quam panegyrin Rectorem Academiae Magnificum, Sereniſſimum Haſſiae Principem, Illuſtriſſimos comites, Vtriusque reipublicae Proceres, generoſiſſimos denique et humaniſſimos Commilitones, obſeruantiſſime inuito.

P. P. Dom. Reminiſcere cIↄIↄccxcvii.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-755523-p0017-2

LIPSIAE,

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

ERNESTVS PLATNERVS

VNIVERSITATIS LITTERARVM

LIPSIENSIS

H. T.

# PROCANCELLARIVS

PANEGYRIN MEDICAM

A. D. XII. APRIL. CIƆIƆCCXCVII

IN AVDITORIO MAIORI

CONCELEBRANDAM

INDICIT.

[illegible]

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-755523-p0020-9

Um 598

(1P13)

ULB Halle 3
002 043 564

5b

4028

hc

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-755523-p0021-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-755523-p0022-0

# ERNESTVS PLATNERVS

UNIVERSITATIS LITTERARVM

LIPSIENSIS

H. T.

# PROCANCELLARIVS

PANEGYRIN MEDICAM

KOEN. FRIED. UNIVERS. ZU HALLE

A. D. XVII. MART. CIƆIƆCCXCVII

IN AVDITORIO MAIORI

CONCELEBRANDAM

INDICIT

---

QVAESTIONES MEDICINAE FORENSIS.

I. DE AMENTIA OCCVLTA.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-755523-p0023-5